

Occidentalem non fuisse introductam, sed initium habuisse in Gallia Narbonensi, in sexto saeculo.

Quidquid sit, haec consuetudo est antiquissima et universalis; attamen plures ecclesiæ judicarunt, saltem a decimo saeculo, conveniens esse peculiare festum instituere in honorem sanctissimæ Trinitatis mysterii, quod est fundamentum fidei nostræ: sic ortum habuerunt variae consuetudines, quas Alexander II in sua decretali comunemorat. Ecclesia Romana has consuetudines non improbavit, et tandem Joannes XXII, qui anno 1334 obiit, primus decrevit ut festum sanctissimæ Trinitatis prima die dominica post Pentecosten ab universali Ecclesia celebraretur, et generalis ejus institutio non fuit recepta nisi sub Benedicto XIII, anno 1405. In Ritu Cenomanensi dupliciter celebratur, nempe prima dominica post Pentecosten, et ultima, id est dominica Adventum immediate praecedenti. Quædam vero ecclesiæ, v. g., Claromontana, in Gallia, illud nondum receperunt.

17º *Festum Corporis Christi.* Pia virgo, nomine Julianæ, in pago dioecesis Leodiensis anno 1193 nata, et monialis in conventu montis Cornelii, singulare devotione flagrabat erga præsentiam Domini nostri Jesu Christi in sacra Eucharistia. Cœlesti visione frequenter donata, intellectus Christum optare ut solemnis institueretur festivitas ad recolendam divinæ Eucharistiæ memoriam, et ipsam ad procurandam hanc institutionem fuisse electam. Obstupuit humilis virgo, judicans se tanto perficiendo operi esse prorsus imparem. Verumtamen, supernis auxiliis confusa, plures consuluit viros pietate et scientia conspicuos, qui responderunt ejus propositum nihil præ se ferre nisi laudabile, Deo ac Ecclesia dignum: tunc secretum suum aperuit; multas difficultates, tribulationes ac persecutiones passa est, et nihilominus obtinuit, anno 1246, a Roberto, Leodiensi episcopo, edictum quo postulata solemnitas instituebatur per totam dioecesim, feria quinta post festum sanctissimæ Trinitatis quotannis celebranda, cum jejunio in vigilia. Canonici ecclesiæ collegiatae S. Martini, intra muros civitatis, soli paruerunt edicto, cæteris recla-

mantibus, et primi hoc festum anno 1247 solemniter celebraunt, Julianæ adhuc vivente.

Ea circa annum 1260 mortua, Eva, altera pia mulier Leodi habitans, cui Julianæ totum negotium suum communicaverat, ab Henrico, Roberti successore, efflagitare non destitit ut Romanum pontificem exoraret quod nova festivitas ad universalem extenderetur Ecclesiam. Urbanus IV, sanctam Sedem tunc occupans, archidiaconus fuerat Leodiensis, Julianam noverat, audierat et propositum ejus ut bonum et probandum laudaverat: precibus multiplicatis hac de re susceptis ac diu perpensis, edidit, die 11 augusti 1264, bullam qua prædictam instituit solemnitatem feria quinta post primam dominicam Pentecostes in universa Ecclesia celebrandam.

Duplex editum fuit officium pro hac solemnitate, unum a quodam Joanne, clero Leodiensi, quod per plures annos in Ecclesia S. Martini Leodiensis fuit celebratum; et alterum Jussu Urbani IV a S. Thoma de Aquino compositum, in Breviario Romano insertum, et nunc existens. Plures arbitrantur multa ex priori officio servata fuisse, et Thomam ea ad formam Breviarii Romani redegisse.

Solemnis sanctissimi Sacramenti processio, cuius nulla fit mentio in bulla Urbani IV, ex devotione paulatim fuit introducta, ut ostendit Fleury, *Hist. eccl.*, l. 93, n. 9, et facta est universalis.

Sacra rituum Cong. definiit, die 23 martii 1709, sanctissimum Sacramentum in hac processione et in ea quæ fit dominica sequenti, deferendum esse a sacerdote qui celebraturus est missam. Si episcopus processioni intersit et ex causa non celebraverit, debet tamen, ex Cærimoniali episc., l. 2, cap. 33, venerabile Sacramentum portare. Hæc decisio apud nos non fuit admissa quoad SS. Sacramenti delationem; sed celebrans vel episcopus, si adsit, in singulari stationibus dat benedictionem.

18º *Inventio S. Crucis.* Adrianus imperator, ex odio Christianorum, sanctum Christi sepulcrum terra oppleri, et in eo loco templum Veneri dedicatum extrui jussit. Constantinus ad fidem conversus magnificentissimam ec-

clesiam in codem loco erigere studuit, et mater ejus, sancta Helena, Jerusalem, circa finem anni 326, adventa, cuncta in circuitu loca everti jussit, et tres inventæ sunt crucis sibi invicem adjacentes. Crux Christi agnita est ex titulo : *Jesus Nazarenus Rex Iudeorum*, juxta S. Ambrosium, et ex miraculosa sanatione mulieris ad tactum sanctæ illius crucis, juxta *Ruffinum*, *Socratem*, *Sozomenum* et *Theodoretum*, vel ex ejusdem aut alterius jam mortuæ resurrectione, secundum S. *Paulinum Nolanum*, in epistola ad *Sulpicium Severum*. Quidquid sit, dubitari non potest quin certa adhibita fuerint media veritatem cognoscendi.

Bollandistæ referunt crucis partem S. Macario Hierosolymitanæ episcopo traditam, ac postea in templo a Constantino Hierosolymæ exstructo locatam esse, et alteram ab Helena missam fuisse Romanam, ut in templo S. Crucis in Hierosolymam poneretur: templum istud in memoriam crucis quam Constantinus vidérat in celo exstrui curaverat Helena. Verisimile est, aiunt Bollandistæ, festivitatem Inventionis Crucis a die quo portio sanctæ crucis in hac basilica posita est incöpisse, atque inde a summis Pontificibus in alias ecclesias Romæ et postea totius orbis catholici invectam esse. Jussu Gregorii XI, anno 1377 defuncti, compositum fuit officium Inventionis et Exaltationis S. Crucis; Clemens VIII hoc officium ad ritum secundæ classis promovit, et Urbanus VIII voluit ut hæc Inventionis solemnitas die 3 maii celebraretur de præcepto.

Multæ nunc existunt particulae de ligno S. crucis per varias ecclesias dispersæ, quibus idem exhibetur cultus ac sanctissimo Sacramento, sed relativus, et ab episcopis ordinandus.

<sup>190</sup> *Transfiguratio Christi*. Constat, ex tribus Evangelistis, Mattheo, Marco et Luca, Christum secum assumpsisse discipulos Petrum, Jacobum et Joannem, eos duxisse in montem excelsum et coram ipsis transfiguratum esse. In memoriam hujus facti mirabilis institutum est festum, cuius origo et initium assignari non potest, sed *Bened. XIV* demonstrat illius institutionem, quæ vulgo Calixto III, anno 1458 mortuo, tribuitur, esse anteriorem,

et hunc Pontificem illius officium composuisse, edidisse, recitari præcepisse, indulgentias ei annexuisse, et solemnitatem, die 6 augusti celebrandam, ad universalem Ecclesiæ extendisse. Eo tamen tempore consuetudo jam erat ejusdem mysterii memoriam faciendi, sicut hodie, sabbato primæ hebdomadæ Quadragesimæ et dominica sequenti.

<sup>20º</sup> *Exaltatio S. Crucis*. Chosroes, Persarum rex, Hierosolymam anno 624 expugnatam incendit, plurimos Christianos cum Zacharia patriarcha captos Hebræis vendidit, sanctam crucem cuin sua theca argentea abstulit eamque tanquam monumentum pretiosissimum honoriſſe custodivit. Heraclius imperator magnam victoriam adversus Persas anno 627 reportavit: Siroes, Chosroë filius et successor, pacem ab Heraclio petiit; inter conditiones quas Heraclius posuit, exigit ut sibi restitueretur crux Domini, eamque recepit in eadem theca argentea in qua S. Helena ipsam recludi curaverat. Sanctissimum pignus maximo cum triumpho susceptum est, et inde nata est occasio in solemniori ritu habendi Exaltationis sanctæ Crucis festivitatem, quæ a multo tempore jam existebat, in memoriam eorum quæ sub Constantino Magno acciderant, ut probat *Bened. XIV*, et fixa erat diei 14 septembri.

*De festo sacratissimi Cordis Jesu alibi diximus.*

§ II.— De festi in honorem beatae Mariae Virginis.

Gratianus, in Decreto, 3<sup>a</sup> parte, dist. 3, can. 1, citat concilium quoddam Lugdunense ex quo tres tantum numerat festivitates in honorem sanctissimæ Virginis institutas, Purificationem, Assumptionem et Nativitatem. S. Berthardus quatuor recenset, tres præcedentes et Annuntiationem. Ab eo tempore plures aliae fuerunt institute, quas breviter indicaturi sumus, sequendo ordinem anni civilis.

<sup>1º</sup> *Desponsatio B. Mariæ cum S. Joseph*, die 23 januarii. Constat enim, ex dictis in Tractatu de Matrimonio, verum exstitisse matrimonium inter B. Mariam Virginem

et S. Joseph. *Bened. XIV*, de hoc festo disserens, statuit 1º a nota temeritatis excusari non posse qui veritatem hujus matrimonii nunc negaret; 2º communem esse sententiam B. Virginem quatuordecim circiter annis nupsisse; 3º falsam esse opinionem quæ tenet S. Josephum priorem habuisse uxorem ex qua suscepisset liberos, et non fuisse ætate valde provectum, ut illum repræsentare solent pictores; 4º in decimo quinto sæculo festum Desponsationis B. Mariæ cum S. Joseph notum fuisse in ecclesia Carnutensi, et Gersonem officium pro illo scripsisse; 5º Paulum III, in decimo sexto sæculo, commissario generali Fratrum Minorum concessisse facultatem ut fratres et sorores officium Desponsationis, ex officio Nativitatis desumptum, mutata voce *Nativitatis* in vocem *Desponsationis*, recitarent; 6º Benedictum XIII, edicto diei 22 augusti 1725, hoc festum ad omnes ditiones ecclesiasticas exten- disse, die 23 januarii celebrandum: 7º annulum apud Perusinos asservatum, qui pie creditur B. Mariæ inser- viisse quando nupsit, licet ab Innocentio VIII Perusinis præ Clusinis in magna lite adscriptum, non ideo esse certe authenticum. Sancta quippe Sedes pronuntians tale ob- jectum ad hunc vel ad illum pertinere, de veritate ejus intrinseca non ideo judicat; quod plures evenit ubi de identitate reliquiarum agebatur.

2º *Purificatio*, die 2 februarii. Certum est beatam Virginem Mariam, quæ more consueto non conceperat nec pepererat, veteri Legi circa purificationes mulierum non fuisse obligatam; ei tamen humilitatis causa se subjicit et 1º quadraginta diebus ab ingressu templi abstinuit; 2º primogenitum suum obtulit Domino, sicut præceptum erat in lege Moysis, et illum quinque siclorum oblatione redemit, secundum præscriptum Legis, quamvis B. Lucas de hoc sileat; 3º obtulit pro sua purificatione hostiam Lege statutam et pauperibus permissam, scilicet par turtarum aut duos pullos columbarum, loco agni anniculi in Levitico, cap. XII, præscripti.

Simil occurrunt in templo venerabilis senex nomine Simeon et prophetissa Anna, qui exsultaverunt præ gau-

dio, Deum benedixerunt et diversa vaticinati sunt. Unde hoc festum dicitur apud Graecos *ὑπαθη*, *occursus*, a verbo *ὑπαθει*, *occurriere*: habetur etiam apud illos, sicut et in ritu Ambrosiano, ut festum Domini nostri Jesu Christi, qui hac die in templo fuit præsentatus; verum, juxta Ecclesiae Romanæ consuetudinem, inter B. Virginis solemnitates sub nomine Purificationis ejus numeratur.

Institutionem hujus festi assignare non possumus: sci- mus tantum eam antiquissimam esse, siquidem Gelasius papa I, S. Eligius, S. Sophronius Hierosolym., S. Cyrilus Alex., etc., loquuntur de more suo tempore recepto be- nedicendi cereos eosque in processione deferendi, ut pu- blice significetur vera esse hæc verba de Christo prolati: *Lumen ad revelationem gentium*.

3º *Annuntiatio*, quæ 25 martii celebratur, ad recolen- dum ineffabile Verbi divini Incarnationis mysterium, quod angelus Gabriel annuntiavit Mariæ Nazareth degenti, ut narratur Luc. 1, 26 et seq. Si Bollandistis fides adhibeatur, beatissima Virgo, tanti beneficii gratam semper conservans memoriam, hanc diem quotannis singulari devotione colebat; Apostoli, cum hujusmodi piissimæ gratitudinis consuetudinem in sancta Dei Genitrice vidissent, eam ob- servarunt et ubique servandam esse sanxerunt; sieque dicta festivitas esset traditionis Apostolicæ.

Certum est illam ad minus in septimo sæculo solemnem exsistisse, siquidem synodus in Trullo, anno 592 habita, præcipit ne per quadragesimam integrum missæ sacrificium peragatur, *præterquam sabbato, dominica et sancto Annuntiationis dñe*. Verum *Bened. XIV* rectissime notat synodum Trullanam de institutione festivitatis non agere, illam vero supponere, e contra, ut existentem et universalem. S. Aug. et S. Gregorius Thaumaturgus, juxta eumdem doctissimum Pontificem, de illa festivitate non obscure loquuntur, quamvis non præcisis verbis.

4º *Compassio*, feria sexta post dominicam Passionis. Certum est B. Virginem crucifixioni divini Filii sui ad- fuisse, et ad stupendum hujusmodi spectaculum animam ejus incredibili dolore fuisse effossam, juxta Simeonis

oraculum, et tuam ipsas animam pertransibit gladius. Theodoricus, Coloniensis episcopus, synodum provinciale in sua civitate anno 1418 agens, et comprimere volens audaciam Hussitarum, qui sahetissimas Christi et B. Virginis dolore perfossae imagines feedabant, statuit ut deinceps festum commemorationis prefatae angustiae et doloris B. Marie Virginis singulis annis feria sexta post dominicam Passionis, in omnibus ecclesiis suæ provinciæ in choro tantum celebraretur. Bened. XIII jussit per decretem 22 augusti 1725 ut officium ejusdem festi in tota ditione ecclesiastica recitaretur, et per aliud decretum, 22 augusti 1727, illud ad universalem Ecclesiam extendit sub nomine festi Dolorum beatissimæ Virginis, quod etiam dicitur festum Septem Dolorum B. Mariæ Virginis, quia septem præcipue numerantur circumstantiae in quibus B. Virgo Maria vehementer doluit, et ideo pictores sanctam Deiparam septem gladiis perfosam depingunt. Apud nos hoc festum vocatur Compassio.

5º *Auxilium Christianorum*, die 24 maii. Pius VII, libertatem feliciter adeptus anno 1814, post quinque annos duræ captivitatis que nullum finem habitura videbatur, declaravit suam liberationem tribuendam esse, juxta animi sui persuasionem, auxilio speciali beatissimæ Mariæ cui in tribulationibus suis confidebat, et decreto diei 16 septembri 1815 instituit, pro ditionibus ecclesiasticis, festum in honorem ejusdem sanctissimæ Virginis sub titulo Auxilii Christianorum. Plures ecclesiae, notanter in Belgio, facultatem hoc celebrandi festum petierunt ac obtinuerunt. Confraternitas sub eo titulo, in ecclesia parochiali S. Nicolai civitatis Namurei a Leone XII, per Breve diei 17 nov. 1826 fuit erecta et multis indulgentiis plenariis ac particularibus locupletata. Erectionem alterius confraternitatis sub eodem titulo, die 17 martii 1835, pro cathedrali Cenomanensi pariter obtinuimus.

6º *Visitatio* B. Virginis, die 2 juli. Postquam discessit angelus qui Verbi incarnationem B. Mariæ Virgini annunciaverat ea iter ingressa, venit in quamdam civitatem Judæ in montibus sitam, ad cognatam suam Elisabeth,

sciens per testimonium angeli eam, licet sterilem, in secrete concepisse et sextum decursum mensem illius graviditatis; eam salutavit, mirabilia ab ea Spiritu sancto repleta audivit, mansit cum illa quasi mensibus tribus; et reversa est in donum suam, Luc. 1, 56. Negari non potest memoriam sanctissimæ hujus visitationis dignam esse speciali cultu; officium in illius honorem celebratum fuisse ab ordine fratrum Minorum, anno 1263, testatur *Benedictus XIV*, n. 9, et ejus institutionem, pro tota Occidentali Ecclesia, tribuit Urbano VI, quo mortuo, Apostolicas ejus litteras nondum editas Bonifacius IX, illius successor, promulgavit per const. anni 1389 Concilium Basileense, anno 1441, in sess. 43, statuit ut dictum Visitationis Mariæ festum die 2 juli in omnibus Christiani orbis ecclesiis solemniter celebraretur. *Labbe*, t. 12. Licet concilium Basileense tunc non fuerit oecumenicum, nihilominus festivitas Visitationis facta est universalis pro choro, non pro foro.

Recenti decreto, nempe pridie Calendas junii 1850 edito, S. P. Pius IX, in memoriam Urbis a perditorum hominum jugo, die 2<sup>a</sup> juli, liberatae et aliquot post dies, civilis Apostolice Sedis principatus restituti, festi Visitationis gradum auxit, duplumque secundæ classis pro universa Ecclesia effecit.

7º *Festum B. Mariæ de Monte Carmelo*, die 16 juli. Mons Carmelus, inter Iudeam et Syriam, fuit illustratus praesentia Eliae et miraculo quo ignis de celo in prophetas Baal descendit. Existit celebris ordo religiosus, dictus de monte Carmeli ab Elia et Eliso, quos ut primos patriarchas suos veneratur. Fertur Simeonem Stock, virum eximiæ sanctitatis, generalem totius ordinis Carmelitarum, in tredecimo saeculo visionem habuisse, multo ante suum obitum, in qua B. Virgo Maria ei apparuit ostenditque scapulare tanquam peculiare signum sue protectionis in Carmelitarum ordinem; deinde quinquaginta post annis eamdem Virginem apparuisse Joanni XXII, summo Pontifici, cumque monuisse de pluribus indulgentiis quas a Jesu Christo filio suo fratribus et sororibus

Carmelitani ordinis impetrasset, et eas ab illo Pontifice suisse promulgatas, die 3 martii anni 1522, per bullam quæ vulgo dicitur *Sabbatina*.

Hæc bulla non modicas patitur difficultates, ut vide-re est apud *Bened. XIV*, de Festis, l. 2, cap. 6, n. 9 : Paulus V eas non dirimens, permisit « patribus Carmeli-tanis prædicare quod populus Christianus pie credere possit de adjutorio animarum fratrum et confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, etc.

» Quapropter, ait *Bened. XIV*, cum ea omnia quæ tum in B. Stokii visione, tum in Sabbatina bulla difficultatem creare poterunt, et sapientibus doctorum virorum animadversionibus et Romani Pontificis decreto sublata sint ; cumque gliscentibus maxime contentionibus, nemmo unquam cultum erga B. Virginem de monte Carmelo ausus sit improbare, quem Romani Pontifices tot tantisque indulgentis locupletarunt; cum denique, B. Virginie intercedente, plura Deus miracula ediderit in eorum utilitatem qui huic devoto cultui sunt addic-ti... quisque fateatur necesse est festivitatem de monte Carmelo non sine gravi institutam esse iudicio, et in universalis Ecclesia cum officio et missa propria cele-brari. Eam pro Carmelitarum ordine anno 1587 appro-bavit Sixtus V, et ex decreto S. rit. Cong. novis auxi-lectionibus a venerabili card. Bellarmino recognitis. »

Eamdem festivitatem, diversis successivis temporibus, Romani pontifices ad aliquot civitates, provincias et regna extenderunt, ut populorum, episcoporum aut principum devotioni satisficeret, et *Bened. XIII* ad universalem Ecclesiam.

8º *Festum S. Mariæ ad Nives*, die 5 augusti. Est anniversarium dedicationis celebris basilice nunc dictæ S. Mariae-Majoris, Romæ existentis, quæ vocata est *ad Præsepe*, quia præsepe Domini quod ex Bethleem dicitur asportatum in ea cum honore servatur; appellatur etiam *basilica Liberiana*, quia sub Liborio summo Pontifice, in quarto sæculo, fundata est; et *S. Maria ad Nives*, ex pia populari

traditione, quæ tenet, referente *Bened. XIV*, de Festis, l. 2, cap. 7, n. 6, nonis augusti, quo tempore gravissimi Romæ sunt calores, nivem noctu in Exquilibrium collem decidisse, et eadem nocte Joannem, patricium Romanum, atque ejus uxorem in somnio a B. Virgine, cui erant addictissimi, monitos fuisse ut in parte collis nive tecta templum in ipsius honorem extruerent; Liberium idem simul habuisse somnium quod Joanni communicavit, ad collem cum populi et cleri concursu processionaliter ivisse, eum nive tectum invenisse, ac in eo locum templi designavisse, quod deinde Joannis et uxoris ejus sumptibus exstructum est. Hoc miraculum consignatur in Martyrologio Romano dicente : *Romæ, in Exquiliis, dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ ad Nives*; deinde factum nivis miraculosæ narratur. Constat festivitatem hujus dedicationis celebratam duodecimo sæculo in ipsam basilicam, in quarto decimo sæculo ad totam urbem extensam esse, et a Pio V ad universalem Ecclesiam. Postea eadem basilica, ob maximam ejus celebritatem dicta *S. Maria-Major*.

Quando summus Pontifex in Palatio Quirinali residet, Brevia sua et bullas inscribit de *S. Maria-Majori*

9º *Assumptio B. Mariæ in cœlo*, die 15 augusti. S. Epiph., Hæresi 78, dubitat an B. Maria mortua fuerit : alii id expresse negarunt, ob privilegium immaculatae conceptionis, quia mors est poena peccati originalis, a quo B. Maria fuit exempta. Sed communis est opinio totius Ecclesiæ sanctissimam Deiparam, sicut cæteros Adami filios, obiisse. Disputatur de anno et loco mortis ejus : communius assertur eam, annis septuaginta duobus natam, mortuam esse Hierosolymis juxta quosdam, Ephesi juxta alios. *Bened. XIV*, neutram ex his sententiis amplectens, statuit cap. 8, n. 12, « exploratum esse B. Virginem ex hac vita migrasse, ejus animam a corpore fuisse sejunctam, statimque, nulla vel minima mora interjecta, non solum beata visione fuisse præditam, sed sublatam ad empy-reum et exaltatam super choros angelorum ; » et postea addit corpus ejus peculiari privilegio revixisse et simul cum anima in cœlum gloriose translatum esse.

Non convenient doctores quo die et tempore B. Maria revixerit et in cœlum assumpta fuerit : quidam mortem seu dormitionem ejus ab assumptione distinguunt, et alii volunt utramque eodem die contigisse.

Magna Assumptionis solemnitas in universa celebratur Ecclesia, saltem ab octavo sæculo, et probabilius a sexto, ut probat *Benedict. XIV*, de Festis, cap. 8, n. 29 ; olim celebrabatur die 16 januarii, sub titulo dormitionis ; die 18 januarii, sub titulo Depositionis ; et tandem die 15 augusti, sub nomine Assumptionis B. Mariæ.

Non tamen de fide est, ut omnes fatentur, dictam Virginem resurrexisse et in cœlum corporaliter elevata esse.

10º *Nativitas B. Mariæ*, die 8 septembbris. Dies natalis aliorum sanctorum est dies mortis, quo in beatitudine æterna nasciuntur. Celebrabatur natalis Domini et natalis S. Joannis Baptiste tempore S. August., ut patet ex seq. ipsius verbis, Sermon. 287 : « Natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia : solos duos natales celebrat hujus (Joannis Baptiste) et Christi. » Unde merito infertur nativitatem B. Mariæ nondum exstitisse ut festum. Conveniens tamen postea visum est eam instituere ; ignoratur quo præcise tempore. Nonnulli putant eam primo institutam fuisse sæculo duodecimo in Gallia, et inde in Italiæ commesse. Verum constat eam exstitisse tempore Ildephonsi, sæculo septimo scribentis et dicentis, Bibliotheca Patrum, t. 12 : « Nullius igitur nativitas celebratur » in mundo, nisi Christi et ejus (Mariæ) atque beati Joannis. » Joannes autem qui et ipse utero sanctificatus legitur ; sic et beata Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minime ejus nativitas colenda esset.

In Codice sacramentorum Romanæ Ecclesiæ qui creditur esse S. Leonis Magni aliorumque prædecessorum Pontificum, habetur missa in Nativitate S. Mariæ cum propriis orationibus; in Sacramentario S. Gregorii a Menardo edito, p. 128, sunt orationes ad matutinum, processiōnem et missam in Nativitate B. Virginis Mariæ. Probabile nihilominus videtur hanc festivitatem in Ecclesia

Romana antiquiore, in Gallia ante nonum sæculum non fuisse introductam, ut infertur ex multis testimoniosis a *Benedict. XIV* citatis. Nunc, et a duodecimo sæculo, celebris est tam apud Græcos quam apud Latinos, et die 8 septembbris habetur.

11º *Festum nominis B. Mariæ*, dominica infra octavam Nativitatis. Venerandum semper fuit nomen S. Mariæ, et diu prohibitum fuit ne, præ reverentia, alteri feminæ impuneretur ; serius hoc concessum est, et mos invaluit ut multis etiam viris ex devotione daretur. Deinde factum est ut cultus illi sancto nomini exhiberetur, qui anno 1512 diplomate pontificio pro civitate et diœcesi Conchiensi in Hispania fuit approbatus, a Pio V sublatuſ, et a Sixto V restitutus. Innocentius XI jussit, anno 1682, ut officium Nominis Mariæ ab universalis Ecclesia die dominica infra octavam ejusdem Nativitatis recitaretur in memoriam celebris victoriae qua, opere beatissimæ Mariæ, exercitus Turcarum urbem Vieianam obsidentium profligatus est.

12º *Festum B. Mariæ de Mercede*, die 24 septembbris. B. Virgo Maria apparuit Petro Nolasco, Raymondo de Pennafort et Jacobo regi Aragoniæ ; eosque monuit sibi ac Filio suo gratum fore, si in ipsius honorem institueretur ordo religiosorum qui operari darent liberandis Christianis e captivitate Turcarum. Tunc institutus est ordo regularis sub invocatione B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum. Hinc nata est festivitas ad exhibendum specialem cultum B. Mariæ, pro isto singulari beneficio, sub titulo de Mercede redemptionis captivorum. Officium primo soli ordini fuit concessum, deinde ad omnia Hispaniæ regna, ac postea ad Gallias propagatum ; deinceps Innocentius XII jussit illud die 24 septembbris ab universalis Ecclesia recitari.

Pius VII anno 1814 festum Septem Dolorum B. Mariæ de novo instituit, in memoriam suæ captivitatis, et statuit ut illud tertia dominica septembbris per universam Ecclesiam celebraretur. Officium est prorsus distinctum ab Officio Compassionis.

13º *Festum Rosarii sanctissimæ Virginis*, dominica

prima octobris. Die 7 octobris 1571, quæ fuit prima dominica octobris, commissum est prælium navale ad Nau-pactum, Pio V regnante, cui victoria Christianorum ad-versus Turcas divinitus eodem momento quo obtinebatur revelata est. S. Pontifex jussit quotannis S. Mariæ de Victoria commemorationem fieri, ut in Martyrologio habetur ad hunc diem. Gregorius XIII, advertens quod memoria-bilis victoria reportata esset dum piæ sodalitates sanc-tissimi Rosarii, de more suo et instituto processione in-cedentes, Deum devote precarentur, ita ut pie æstimari potuerit ejusmodi preces, intercedente B. Virgine Maria, ad eam victoriam plurimum contulisse, statuit die 1 aprilis 1573, solemnem deinceps prima dominica octobris festivitatē peragendam fore, sub nomine Rosarii, in iis tantum ecclesiis in quibus capella vel altare erectum esset sub invocatione B. Virginis Rosarii. Die 26 octobris 1671 Clemens X, precibus Mariannæ Hispaniarum regiæ in-clinatus, hoc festum celebrari permisit in cunctis regio-nibus catholicis regi Hispaniarum subjectis, etiam ubi nullum esset sacellum vel altare sub invocatione B. Mariæ Virginis Rosarii erectum.

Sub Innocentio XII delatae sunt preces, nomine Leopoldi imperatoris, S. Rit. Cong. ut ad universalem Ecclesiam officium et missa Rosarii propagarentur; sed Pontifex, morte præventus, rescriptum quo precibus Leopoldi satisfiebat, approbare non potuit. Clemens XI, ejus successor, decretum illud approbavit, die 3 octo-bris 1716, ac mandavit ut in universalis Ecclesia prædic-tum Rosarii officium recitaretur et missa celebraretur.

14º Festum de Patrocinio B. Mariæ, dominica tertia novembbris. Certum est B. Virginem pro nobis apud Deum intercedere, et patrocinium ejus feliciter invocari. Illam ergo merito ac convenienter invocare possumus ut poten-tiem patronam nostram; ac proinde non mirum si festum in honorem ejus sub titulo ipsius patrociuii fuerit institutum. Colligitur ex decreto S. Cong. rit. dici 6 maii 1679, illud festum omnibus provinciis regi Hispaniarum sub-jectis fuisse concessum, deinde aliis regionibus, et a

Bened. XIII omnibus ditionis ecclesiasticæ provinciis.

15º Præsentatio B. Mariæ in templo, die 21 novembbris. Pia et antiqua est traditio B. Mariam adhuc teneram, tribus annis natam, ut communius habetur, a parentibus in templo præsentatam fuisse et educatam, donec matrimoniio Joseph fuerit conjuncta. Bened. XIV affirmat de ipsa præsentatione nullam esse rationem dubitandi, quamvis de illius tempore et modo multa narrantur incerta: festivitas in honorem hujus præsentationis vetus erat in Ecclesia Orientali, siquidem imperator Comnenus, qui regnare coepit anno 1143, eam inter alias festivitates commemorat. Gregorius XI, Avenione degens, precibus Philippi Mazerii, regis Cypri cancellarii, annuens, officium ab illo sibi oblatum accepit, diligenter examinandum cu-ravit, ac decrevit, anno 1374, ut hæc dicta festivitas in tota Ecclesia Occidentali die 21 novembbris celebraretur.

16º Conceptio beatæ Mariæ Virginis, die 8 decembbris. De mysterio immaculatae conceptionis beatæ Mariæ et festo in illius honorem instituto sufficienter diximus in Tractatu de Peccatis.

17º Translatio sanctæ domus Lauretanæ, die 10 decem-bbris. Benedict. XIV, in magno opere de Canoniz. Sanc-torum, l. 4, 12ª part., cap. 10, et in Tractatu de Festis, lib 2, cap. 16, eruditè probat, ex traditione, ex constitu-tionibus plurimorum summorum Pontificum, nempe Pauli II, Julii II, Leonis X, Pauli III, Pauli IV et Sixti V; ex Martyrologio Romano, in quo ad diem 10 decembbris sequentia inserta sunt verba, ex decreto S. Cong. rit. dici 31 augusti 1669: « Laureti, in Piceno, translatio sacrae domus Dei genitricis Mariæ, in qua Verbum caro fac-tum est; » et ex celebriorum criticorum sententiis, inter quos numerantur Bollandistæ, ad 25 martii, § 4, Natalis Alexander, Hist. Ecel. decimo tertio sæculo, Theophilus Reynaudus, Baillet, P. Honoratus a Sancta Maria, Grave-sonus, Guido Grandus, abbas Camaldulensis, D. Calmet, Muratori, etc.; — probat, inquam, domum natalem beatæ Virginis, divinis mysteriis consecratam, ab infide-lium potestate ereptam, in Dalmatiā prius, deinde in

agrum Lauretanum, Picenæ provinciæ, in ditionibus ecclesiasticis, translatam suis ministerio Angelorum, sedente S. Cœlestino V, vel sub Bonifacio VIII, versus annum 1294. Refert Clementem VII tres misisse viros qui magnitudines et mensuras domus Lauretanæ cum mensuris locorum in quibus antea fuisset conferent, eosque, loco Dalmatiæ et fundamentis domus Nazarethi visitatis, reperiisse mensuras cum magnitudinibus domus Lauretanæ collatas optime sibi esse concordes. Certum est domum Lauretanam in universo orbe catholico celebrem esse, multo populi concursu frequentari, et innumeris illustratam fuisse miraculis.

His omnibus permotus Innocentius XII, ut cultus fideium erga beatissimam Virginem magis excitaretur, permisit ut dies anniversaria translationis sanctæ domus ejus cum officio et missa solemniter, die 10 septembbris, celebretur in tota Piceni provincia. Officium istud, cum propria missa, in Piceno limitatum, die 9 maii 1719, ad omnem Etruriam propagatum est; deinde a Bened. XIII, ad omnes ditionis ecclesiasticæ provincias, et tandem ad cunctas regiones Hispaniarum regi subjectas, ex decreto 23 augusti 1725 et 10 novembri 1729.

18º *Festum Exspectionis partus B. Mariæ*, die 18 decembri. Sciendum est festum Annuntiationis olim in Hispania celebratum esse die 18 decembri, ex decreto conc. Toletani in septimo saeculo celebrati, *Labbe*, t. 6, eo quod 25 martii semper in Quadragesima vel in Paschate incidat. Attamen, sequentibus temporibus, Hispaniarum ecclesia ad constantem Ecclesiae Romanæ usum Annuntiationem die 25 martii celebrandi devenerunt; sed huic solemnitati alteram substituerunt, die 18 decembri, sub titulo Exspectionis partus B. Mariæ, quam Gregorius XIII anno 1573 approbavit. Haec festivitas appellatur etiam beatæ Mariæ de *O*, cuius nominis origo ducta est ab antiphonis per *O* incipientibus, suspiria, gemitus et desiderium veterum Patrum adventum Redemptoris advocantium experimentibus, quia prima harum antiphonarum in primis hujusmodi festi Vesperis dicitur.

Officium hujus festi coepit recitari in regionibus reipublicæ Venetorum subjectis, ex indulto S. Cong. rit. diei 3 septembri 1695, et ad omnia ditionis ecclesiasticæ loca extensum est decreto Bened. XIII, diei 22 augusti 1775.

19º *Festum B. Mariæ in sabbato*. Constat vetustum esse pius morem exhibendi in sabbato B. Mariae Virgini peculiarem queindam cultum, et missas in ejus honorem hac eadem die celebrandi. *B. Petrus Damianus*, anno 1073 vita funetus, dicit in Opusc. 33, cap. 3 et 4, pius inolevisse morem ut per omne sabbatum missarum officia in honorem B. Mariæ celebrarentur, nisi forte festivitas aut feria Quadragesimalis obsisteret. *Cardinalis Bona*, in Tractatu de divina Psalmodia, cap. 12, § 2, contendit officium B. Mariæ in sabbato trecentis annis ante B. Petrum Damianum in ecclesia tam Graeca quam Latina recitari consueuisse. *Urbanus II*, in concilio Claromontano, anno 1095, statuit « ut Horæ B. Mariæ dicerentur quotidie officiumque ejus diebus sabbati fieret. » *Micrologus de ecclesiasticis observationibus*, in undecimo saeculo scriptus, cap. 60, dicit: « Et sabbato de sancta Maria pene usque quaque servatu', non tan ex auctoritate quam ex de votione. » *Bibl. Patr.*, t. 18.

Postea duplex nata est obligatio relative ad regulares et ecclesiasticos in sacris constitutos: una recitandi quotidie cum officio divino, parvum B. Mariæ officium; et altera, in ejus honorem celebrandi sabbatum. *S. Pius V*, quando vetus Breviarium ex mandato concilii Trid. emendavit, obligationem sustulit recitandi extra chorum officium parvum B. Mariæ, officiumque componi jussit de B. Maria in sabbato, ad quod omnes tenerentur.

*Notandum* quod, ubi dicitur obligationem aliquod officium recitandi ad universale. Ecclesiam fuisse extensam, id intelligendum sit de iis qui ad Breviarium Romæ tenentur; in locis quippe in quibus particulare Breviarium legitime recitatur, nova officia non obligant priusquam ab episcopis locorum fuerint approbata et prescripta. Sic non recitamus officium Desponsationis B. Mariæ, de monte Carmelo, B. Mariæ ad Nives, etc.

## § III.— De præcipuis festis Sanctorum.

Inter sanctos religioso cultu in Ecclesia honoratos, sunt Angeli, Sancti Veteris Testamenti et Sancti Novi Testamenti.

*De Angelis.*

Ex Scriptura sacra, traditione et Ecclesiæ interpretatione, constat multos esse Angelos beatos, qui propterea cultu religioso honorari possunt, sine ullo dubio. Novem numerantur Angelorum ordines in triplici hierarchia distributi, scilicet Seraphim, Cherubim et Throni, Dominationes, Virtutes et Potestates, Principatus, Archangeli et Angeli.

Tres tantum, ex Scriptura, nominatim designantur angelii, nempe Michael, Gabriel et Raphael. Quatuor alia nomina, *Uriel, Salathiel, Jehudiel, Barachiel*, a Judæis accepta, nulla fide digna traditione nituntur, et in Ecclesia non admittuntur. Imo concilium Laodicenum, in Capitularibus Caroli Magni, apud Baluzium, stricte prohibuit ne ignota Angelorum nomina fingerentur aut nominarentur, præter Michaelem, Gabrielem et Raphaelem; et in concilio Romano, sub Zacharia papa anno 745 celebrato, expresse dicitur nomina angelorum, Michael et Raphaele exceptis, non esse Angelorum, sed dæmoniorum.

*His positis*, plura notanda sunt ex praxi Ecclesiæ licita et consueta, nempe: 1º ut corporeos pingere licet Angelos, licet incorporeos, quia sub figura hominis apparetur justis. 2º Michael, Gabriel, Raphael, omnes Angelii et Archangeli, omnes sancti beatorum spirituum ordines publice et universaliter invocantur in Litaniis: item incensum, ad offertorium, per intercessionem beati Michaelis archangeli, stantis a dextris altaris incensi, benedicitur. 3º Dedicantur ecclesiæ et capellæ in honorem, aut omnium Angelorum, aut singulorum, S. Michaelis, S. Gabrielis, vel S. Raphaelis; aut in honorem Angelorum Custodum, vel insignis apparitionis alicujus Angeli, v. g.,

S. Michaelis in monte Gargano, in Italia, anno 356, juxta Baronium, vel notabilis beneficii ministerio ejus obtenti, 4º Ecclesiæ pariter dedicari possunt Angelis Custodibus in genere, non vero Angelo Custodi talis hominis, quia eo moriente, ecclesia non haberet patronum nec titulum, 5º Ecclesiæ non dedicantur Deo in honorem omnium Cherubim, Seraphim aliorumque Angelorum ordinum, *cum hoc non sit usu receptum*, inquit *Bened. XIV*, de Canoniz., l. 4, part. 2, cap. 30, n. 10. 6º In universalis Ecclesia officium celebratur, die 8 maii, in commemorationem apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, et die 29 septembris, pro dedicatione templi in eo monte constructi; die 2 octobris celebratur officium Angelorum Custodum, quod, petente Ferdinando imperatore, concessum est a Paulo V, et deinde a Clemente X, decreto 13 septemb. 1670, possum est in præcepto pro universalis Ecclesia. 7º In regionibus Hispaniae subjectis et in pluribus ordinibus religiosis, ex variis summorum Pontificum decretis, recitatitur officium S. Gabrielis, octavo die ante vel octavo die post Incarnationem, id est 18 martii vel 1 aprilis, et officium S. Raphaelis die 2 maii. Cum enim sanctitas eorum constet Scriptura et ex praxi Ecclesiæ eorum nomina publice invocantis, laudabile est ut in eorundem honorem tempora Deo dicentur et officia celebrentur. 8º Sixtus V concessit, diei 5 februarii 1590, ut in regno Portugaliæ et in eundem regionibus ei subjectis recitaretur officium in honorem Angelii Custodis ejusdem regni: communis enim est theologorum sententia singula regna, provincias, civitates, dioeceses, ecclesias, etc., suos habere Custodes Angelos: licet ergo eos speciali cultu honorare et nihil vetat quominus summi Pontifices publicum officium in illorum honorem fieri permittant.

Unusquisque proprium Angelum Custodem cultu personali honorare potest, imo eum singulari devotione semper prosequi debet, ut sanctum, Dei visione gaudentem, suum comitem, amicum, protectorem, etc.: certem est enim, et etiam de fide, juxta multos, saltem omnes justos singulares habere Angelos Custodes. Non ita constat, quamvis